

rubente materia, quapropter quidam rubellas appella-  
uere vineas. Ex minus fertiles vino, acinis & fece ni-  
mia. Contra pruinas fortissima, siccitate magis quam  
imbre, aestu quam algore vexatur. Quamobrem in fri-  
gidis humidisq; principatum obtinent. Fertiliior quae  
minor acino, & folio scissa minus. Apianis apes de-  
dere cognomen, praecipue earum auida. Ex his duo  
genera. Lanugine & ipsae pubescunt. Distat, quod al-  
tera celerius maturescit, quanquam & altera pperate.  
Situs frigidus non respuunt, & tamen nulla celerius im-  
bre putrescunt. Vina primo dulcia, austeritatem annis  
accipiunt, & rubra fiunt. Nulla magis vite gaudet. Et  
hactenus potissima nobilitas datur peculiaribus atq;  
vernaculis Italiae. Cetera aduenere Chio Thasoue.  
Graecula non inferior amin. eis bonitate, praetenera aci-  
no: & uua tam parua, ut nisi pinguisimo solo colere  
non proficit. Eugeniā Taurominitani colles cum genero-  
sitatis cognomine, misere Albano tantum agro, quo-  
niā trāsata statim mutatur. Nanq; est aliquibus tan-  
tus locorū amor, ut omnem in his gloriam suam relin-  
quant, nec vsquam transeāt tota. Quod & in Rhetica  
Allobrogicaq; quam supra picatā appellauimus, eue-  
nit, domi nobilibus, nec agnoscēdis alibi. Fecunda tamē,  
bonitatis vice copiā praestat. Eugenia feruētibus  
locis, Rhetica temperatis, Allobrogica frigidis, gelu  
maturescēs, & colore nigra. ex his quas adhuc dixi-  
mus, sed etiā ē nigris uina uetustate in albū colorem  
trāsēunt. Reliquae ignobiles. Aliquādo tamē celi aut  
soli opera non fallunt uetustatē, sicuti fecenia, & cū ea  
florēs Biturica, acino rarior, nunquā floris obnoxij,  
quoniam antecedunt, uentisq; & imbribus resistunt:  
meliores tamen algētibus locis quam calidis, humidis  
quam sitiētibus. Vix ulla magis tam denso uuarum  
partu impatiens uariētis celi, sed contra tenorē unū  
algoris aestusue constans. Quae minor est ex eo genere,  
\* melior. In eligēdo solo morosa, pingui putrescit, gra-  
cili omnino non prouenit. Mediam temperiem delicate  
querit, ob hoc Sabinis collibus familiaris. Uua eius  
indecora visu, sapore iucūda, nisi matura protinus ra-  
piatur, etiam non putrescens cadit. Contra grandines  
eam tuetur foliorū amplitudo atq; duritia. Insignes  
iā colore inter purpureas nigrasq; medio heluolae se-  
pius uariāti, & ob id uariā a quibusdā appellata.  
Praefertur ī his nigrior, utraq; alternis annis fertilis:  
sed melior uino, cū pareior. Et praecia duo genera ma-  
gnitudine acini discernuntur. Quibus materias pluri-  
ma, uuaq; ollis utillissima, folium apio simile. Basilicā  
Dyrrhachini celebrāt, Hispania cocolobin uocat. Ra-  
rior uua, aestus austrosq; tolerat, capiti inimica, copia  
larga. Hispani duo genera eius faciunt. Vnum oblon-  
go acino, alterum rotundo, nouissimas vindemiant.  
Quo dulcior cocolobis, hoc melior. Sed & austerā  
transit in dulcem uetustate, & quae dulcis fuit, in au-  
steritatem: tuncq; \* Albano uino emulantur. Tradūt  
vesicae uitijs utillissimum ex his potum. Aluelis sum-  
mis arboribus fertiliior est, uisula imis. Quamobrem cir-

\* mollior

\* Albanum  
uinū emul.

ca easdē sata diuersitate natura locupletat. Inerticu-  
lam ē nigris appellauere, iustius sobriam dicturi, inue-  
terato praecipue commendabilem uino, sed uiribus in-  
noxiam. Siquidem temulentiam sola non facit. Ferti-  
litas comendat ceteras, principemq; heluenacā. Duo  
eius genera: Maior, quam quidam longā, minor quam  
arcam appellant, non tam fecundam, sed gratiore hau-  
stu. Discernitur folio circinato. Verū utraq; gracilis.  
Furcas subdere his necessariū, alioqui ubertatem suā  
10 non tolerant. Maritimo afflatu gaudent, roscido odo-  
re. Nulla uitium minus Italiā amat, rara, parua, pu-  
trescens in ea: uino quoq; quod genuit, aestatē non exu-  
perans. Nec alia macro solo familiarior. Graecinus,  
qui alioqui Cornelium Celsum trāsripserit, arbitratur  
non naturam eius repugnare Italiae, sed culturā, auide  
palmites euocantium. Ob id fertilitatem suam absumi,  
si non praepinguis soli ubertas lassescentem susti-  
neat. Carbūculari negatur, magna dote, si uerum est,  
aliqua in uite caelo non esse ius. Aestum fert spionia,  
20 quam quidam spineam uocant, autumnisq; & imbri-  
bus pinguescit. Quinimo nebulis una alitur, ob id Ra-  
uennati agro peculiaris. Veniculam inter optime de-  
florescentes, & ollis aptissimā, Campani malunt sir-  
culam uocare, alij staculam, Tarracini numisianam,  
nullas uires proprias habentem, sed totam perinde ac  
solum ualeat. Surrentinis tamen efficacissima testis  
Vesuuio tenuis. Ibi enim murgentina ē Sicilia potissi-  
ma, quam Pompeianam aliqui uocant, Latio demum  
feracem: sicut horconia in Campania, tantum uilitatis  
30 cibariae, sed ubertate praecipua. Tolerat & annos  
maerica, contra omne sidus firmissima, nigro acino, ui-  
nis uetustate rubescentibus.

Item de uitiū generibus, secundum locorū  
& regionum proprietatem. CAP. III.

**E**t hactenus publica sunt genera, cetera regio-  
num locorūq;, aut ex his inter se insitu mixta.  
Siquidem Thuscis peculiaris est tudernis, atq;  
etiam eius noīs florentia. Est optima Aretio talpana  
& etesiaca & conseminia. Talpana nigra candidū fa-  
cit mustum. Etesiaca fallax, quae quo plus tulit, eo la-  
dabilius fundit: mirumq; fecunditate cessat. Conse-  
minia nigra, uino minime durante, uua maxime: post  
40 xv. dies quam ulla alia metitur, fertilis, sed cibaria.  
Huius folia sicut labrusca, prius quam decidant, san-  
guineo colore mutantur. Euenit hoc etiam quibusdā  
alijs, pessimi generis argumento. Irtiola Umbriae Me-  
uanatīq; & Piceno agro peculiaris est, Amiternino  
pumula. Iisdem bannanica fallax est, amant tamē eā.  
Municipij uua Pompeij nomine appellant: quamuis  
50 Clusinis copiosiore. Municipij & Tiburtes appella-  
uere, quamuis oleagineam nuper inuenerint a simili-  
tudine oliuae. Nouissima haec uuarum ad hoc tempus  
reperita est. Vinaciolam soli nouerunt Sabini & Lau-  
renti. Nam gauranas scio a Falerno agro translatae  
uocari Falernas, celerrime ubiq; degenerantes. Nec  
non Tarentinum genus aliqui fecere, praedulci uua.

Capnias